


Dissertatio Inavgvralis De Eo, Qvod Ivstvm Est Circa Arbores

Rec., Ienae: Litteris Hellerianis., 1737

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003464017>

Druck Freier  Zugang





V. K. — 1 (42.)

Burchard ad d. Iuriam de rescriptis.
 Carrach de interrogationibus.
 Frick de iurej. per genuum hinc.
 Frörsen de rescriptis Princ.
 Gensel haruspices.
 Gmelin de partu ancilla
 - - - hist. representationis.
 - - - de fictionibus
 - - - de pacto de non alien.
 - - - de bon. poss. c. tab.
 - - - de fructuum perceptione.
 - - - de graviore causa in solut.
 Grafs the mata jurid. histor.
 Middeldorf de fatis succ. ab int.
 Mirbelli comm. ad Iurium Menandrum.
 Mylius Theophilus.
 Rivinus de elogiis criminum.
 Schack de iure in platea.
 Scheid de Novellis Leonis.
 Schilter de Curias Dominicalibus.
 Schmidii Comm. de test. priore postter. der.
 Schmidt de Notarius ecclesie.
 - - - de alien. rerum minor.
 Seger Miscella argumenta.
 - - Ulpius Marcellus.
 Sieber de argentarius.
 Struckmann de portitionibus.
 Struven de iure silvanum.
 - - - de admodiacione.
 Thomasius an ius venandi preser.
 Uhlig an dolus in contract.
 Wildvogel de iure circa arbores.

35. Stück.

Wildvogel de adibus ceustis.

- - - de Legg. conviviar.

Wilree de Virgin. Vestalibus.

107
tutianus. spec. I.

ambiguum in

ditores. stud. tran.

de efficaci mulierum

consuetudine

circulatoribus. emb. 1753.

de usufructu vestimentorum. 1766.

denarius de constit. heredi. cum maledictis. witeb. 1759.

anlein de actionis Paul. and natura. Etanga. 1708.

1) B. Behr de dolo malo. Romae everriculo.
Etanga. 1738.

2) C. H. Breuning Comm. 98. A. de U. L. Zepf. 1757.

3) G. H. Trenmann p. titonem immem. origo
in magna. 1771.

4) G. J. J. (Jeg. 1702) brevis usurarum historia.
Zepf. 1763.

DISSERTATIO INAUGVRALIS,
DE EO,
QVOD IVSTVM EST
CIRCA ARBORES,

Vom
Recht der Bäume.

32

QVAM
SVB AVSPICIO DIVINO,
EX DECRETO
ILLVSTRIS IVRECONSVLTORVM ORDINIS,
IN CELEBERRIMA SALANA,
PRAESIDE

VIRO MAGNIFICO ATQVE EXCELLENTISSIMO,
DOMINO

CHRISTIANO WILDOGEL,

SERENISSIMORVM FRATRVM, DVCVM SA-
XO-VINARIENSIVM CONSILIARIO AVLICO,
PANDECTARVM PROFESSORE PVBLICO, CV-
RIAE PROVINCIALIS, NEC NON FACVLTA-
TIS IVRIDICAE ET SCABINATVS
ASSESSORE,

PRO LICENTIA
SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES AC
PRIVILEGIA CONSEQVENDI
LOCO HORISQVE CONSVETIS PVBLICE PROPONET

ANDREAS Stöck,

PEGAV. MISN. HACT. ADVOC. ANNAEMONT.
AD D. AVGVSTI CIO IO CXCI.

IENAE, REC. LITTERIS HELLERIANIS, 1737.

GEORGIUS ARBORES

AVRILIO DIVINO

EXCITANTISSIMO

PROFICUA

PRIVATA

REPUBLICA



I. N. D. N. J. C.

PROOEMIUM.



Onsultanti mihi, quodnam præ ex-
 teris argumentum huic dissertatio-
 ni seligerem, facile arbores sylvæ-
 que sese obtulerunt, quæ in regio-
 ne tam habitationis, quam sustentationis mex,
 earum quondam plenissima, nunc magna ex par-
 te denudata, oculos plurimum occupant. Ut au-
 tem in arborea hac materia continuo adquiesce-
 rem, cum earum dignitas, tum utilitas singularis
 plane effecit. Illa quidem tanta est, ut non terra-
 rum solum domini, quos inter Semiramis, Cyrus
 minor Persarum Rex, Diocletianus, & Maximi-
 nus Imperatores eminent, quidam sua manu eas-
 dem severint, quidam aliorum opera sumptuosis-
 sima splendidissime excoli jusserint; Sed & ipse
 Regum Princeps æternus modo antiquissimam
 maximorum Imperiorum majestatem, modo ju-

A z storum

1712

storum beatitudinem, modo aliud quiddam subli-
me arborum fecunditate, amoenitate, procerita-
te designaverit. Hæc vero, singularis videlicet
earum utilitas, quam eodem jure universalem a-
lius diceret, tanto major est, quanto minus credi
debet, hominum genus earum fructibus & lignis
destitutum commode, ne dicam plane vivere
posse. Unde cautum apud Romanos inveni-
mus, ut Consules sylvarum, nemorum atque
collium curam haberent, utque illi, qui arbores
& maxime vites furtim cæciderint, etiam tanquam
latrones puniri debeant *l. 2. ff. Arb. furt. cas.* Sed
ea arborum utilitas se ipsam ostendit, nec illius,
de qua nemo dubitat, probatio nisi otiose susci-
pitur. Rem ipsam igitur magis est, ut continuo
aggrediar, ejusque quod circa arbores justum in-
justumve est, maximam partem demonstrarem.
Sic itaque, invocato divino Numine,

CAPVT I.

CAPVT I.

Generalia quædam continens.

§. I.



Jus, quod justum est, definitionem hic præmittere supervacaneum censeo, sensum vulgarem retinens, prout nimirum designat qualitatem actionis institutæ secundum jus, quod est regula actionum moralium obligans ad id, quod rectum est, *Grot. de J. B. & P. l. 1. c. 1. n. 9.* cujus vocabuli originationem vide apud *Habn. ad Wesenbec. tit. de J. & J. n. 14.* variam acceptionem in *l. 1. & 2. ff. de LL. & apud Habn. d. num. 14. Colleg. Arg. ad d. tit. n. 15.*

§. II.

Arbor sive Arbos aliis ab arvo, aliis aliunde, plerisque à robore cum *Prisciano lib. 6.* dicitur, vide *Becm. Orig.* & ambiguae significationis est, vel enim (1.) pro malo navis, & ita præprimis à Jctis accipitur, unde *Paul. lib. 2. sent. tit. 7. §. 3. Nave vel arbore vi tempestatis amissa vectores ad contributionem non tenentur, nisi arborem salutis causa ementibus salva navis sit.* Et *Papinianus leg. 3. de Lege Rhodia: Cum Arbor aut aliud navis instrumentum removendi communis periculi causa dejectum est, contributio debetur;* vel (2.) de remo usurpatur, ut apud *Virgil. lib. 5. Æneid. centena arbore, i. e. centum renus, aut (3.) & frequentius speciem plantæ significat, quæ ultima acceptio, ut ex sequentibus patebit, ad tractationem hanc pertinet, eaque arbor vul-*

go describitur, quod sit Planta radice, stipite & ramis
constans.

§. III.

JCtis arboris nomen generale & latioris interpreta-
tionis est, atque ad frutices quoque radices habentes, u-
sumque singularem exhibentes, porrigitur; Non enim
ea tantum arbor intelligitur, quæ justam habet magnitu-
dinem & proprie ita vocatur, *Colleg. Arg. t. 2. per l. u. ff. de
Usufr. vid. Cujac. 24. Obs. cap. 5.* opponiturque fruticibus,
puta lauro, junipero, terebyntho & aliis speciebus, de
quibus *Plin. l. 14. c. 16.* quanquam & hi cultu quandoque
in justam arborum magnitudinem attollantur. *Scal. Exerc.
139.* Sed præter arborem proprie sic dictam in largiori
significatione, quam nostram facimus, illi quoque con-
tinentur: Unde vitem arboris appellatione contineri,
plerique veterum existimaverunt, hederæ quoque & a-
rundines arbores non male dicentur *l. 3. ff. Arb. furt. cas.
ibique Gotbofr.* Arundines enim fruticis genus sunt, *vid.
Jul. Cas. Scal. l. 1. Theophr. de caus. Plant. c. 4. p. 11. seqq. &
pro ligno à quibusdam usurpari solent, ut ab Ægyptiis l.
55. §. lignorum 5. de Legatis 3. ut & ad Palos l. 9. §. 3. de Usufr.
Cujac. ad l. 30. de V. S. & arundinetum sylvæ cædæ com-
paratur, d. l. neque minus recte lupulus & arbusculæ re-
center satæ censentur arborum jure Part. 4. Constit. Sax.
Elect. 37. vid. Moller. ibid. num. 20.*

§. IV.

Est igitur JCtis Arbor, quævis vel Arbor vel frutex,
radices habens, modo hic adeo tener non existat, ut her-
bz

ba loco fit : Hinc arbor non dicitur, quæ vel radices non
 concepit, vel id, quod ob teneritatem suam herbæ potius
 annumerari debet. *vid. l. 3. §. 4. ff. arb. furt. cas.* Quam-
 vis circa prius requisitum speciale quoddam in oleis lo-
 cum habere videri possit, *per d. l. 3. §. 7. ubi : Stirpem oleæ
 arborem esse magis est, siue jam egerit radices, siue nondum :*
 Recte enim Glossa ibidem distinguit inter oleas translatas
 cum radicibus, & virgas plantatas ; Ille, licet cum terra
 nondum coaluerint, tamen arborum numero habentur,
 Nam & si quis ex seminario, i. e. stirpitis arborem trans-
 tulerit, eam, quamvis nondum comprehenderit terram :
 arborem tamen videri Pomponius probat *d. l. 3. arb. furt.
 cas.* sufficit enim stirpem radices habere. Hæ autem, vir-
 gæ scil. antequam radices egerint, & nomen & naturam
 propriam retinent, licet olearum sint. *d. l.* Nec quoad
 posterius obstat *d. l. 55. §. 5. ff. de Legat. 3.* ubi scriptum est,
 herbulas etiam lignorum appellatione venire perinde ut
 radices ; hoc enim ad Legatum lignorum pertinet, quo
 nomine veniunt omnia, quæ comburendi gratia compa-
 rata sunt. *d. l. 55. §. 3.*

§. V.

Distingvuntur arbores in jure passim (1.) in fructi-
 feras & frugiferas *l. 13. §. fructuarius 4. ff. de Usufruct. l. 16. §.
 2. ff. quod vi aut clam.* Fructifera dicuntur, ex quibus fru-
 ctus, nempe nuces, poma, glandes capiuntur. *l. 7. §. si
 fundum viro 12. ff. solut. matr.* Frugifera vero sunt, ex
 quibus frugem, h. e. vinum, oleum, pedamenta, eremie,
 siue ligna tenuia, quæ ignem facile concipiunt *Columell. l.*

12. 69

12. c. 9. aliaque ligna cædendo colligimus. l. 77. ff. de V. S. Reliquæ arbores, quæ nec fructum, nec frugem ferunt, infructiferæ dicuntur. Licet autem salices, & similes arbores steriles, fructiferæ seu pomiferæ non sint, non tamen infructiferæ existimandæ, nisi etiam cædi nequeant, nec soleant, aut casæ non repullulent. per d. l. 77. ff. de V. S. l. 16. §. 1. ff. quod vi aut clam. Gædd. d. l. 77. (2.) In cæduas & non cæduas sive inciduas: Cæduæ dicuntur 1. quæ in hoc habentur, ut cædantur. l. 30. ff. de V. S. 2. quæ maturæ sunt. Ruin. Conf. 30. num. 2. ubi. 1. 3. quæ, cum succisæ sunt, rursus ex stirpibus vel radicibus renascuntur, sive ab eodem stipite, sive ex stirpibus: ut salix, arundo, cornus, fraxinus, quercus, laurus, betula, sambucus, populus, multæque id genus species. Alciat. de V. S. d. l. 30. ff. de V. S. Aret. in l. Divortio. §. si fundum. col. 2. in pr. ff. Solut. matr. Tiraquell. de Retract. conven. §. 3. gl. 1. Mantica de Tacit. & Ambiguis Convent. Tom. 2. l. 22. tit. 29. num. 31. Pro cæduis arboribus 4. & greminales habentur. l. 7. §. 12. ff. Solut. matrim. Non cæduæ arbores, sive inciduæ, ut Statio VI. Thebaid. 19. dicuntur, sunt, quarum contraria ratio est. (4.) Arbores sunt vel majores, vel minores l. 11. ff. de Usufr. ubi illæ, grandiores scil. non cæduis annumerantur, ideo, quod arbores annosæ, sublimes & crassæ, cum excisæ aut eversæ sunt, recrescere & in pristinum restitui non possunt, Gail. 2. Obs. 67. num. 8. Putat tamen Frider. Mindan. arbores juvenculas bonam spem de se præbentes non minus sacras esse debere, quam annosæ & grandiores, lib. 2. de Mandatis c. 40. n. 2. imo & grandiorum arborum usumfructum esse posse, ita, ut ligna inde ad pedamenta & palos, vel ad vendendum fumere liceat, d. l.

§. VI.

Quemadmodum autem omne factum, ex quo jus oritur *l. 17. §. 1. ff. quæ in fraud. Credit.* vel licitum est, vel illicitum: Ita thema præfens ea ratione tractabo, ut primo de Jure ex facto circa Arbores licito proficiscente, deinde actionibus hinc descendentes, tertio de Jure & actionibus ex facto circa arbores illicito venientibus, breviter differam.

CAPVT II.

De quarundam Arborum singulari qualitate ac jure.

§. I.

Offerunt sese quædam arbores, quæ, dum adhuc fundo coherent, ob peculiarem aliquam qualitatem, dominium privatorum, cum primis quoad facultatem succidendi, effugere, & quasi juris publici esse videntur. Quædam iterum ob singularem rationem, seu jus alteri in iis quæsitum, ita comparatæ sunt, ut peculiarem accipiant qualitatem, & quo ab aliis dignosci queant, incisa cruce vel alio signo, experientia teste, notari solent, e. g. arbores finales, quæ sæpe limites & terminos agrorum & territoriorum constituunt, subque pœna arbitraria *l. ult. §. ult. ff. de term. mot.* & damni alteri contingentis restitutione *§. 6. Inst. de off. Jud. l. 4. §. 1. & seqq. ff. fin. reg. excide-*

B

re

re vel convertere prohibita sunt, germanice **Mahl- oder
Lagbäume.** Quandantenus etiam referri huc possunt
ex arbores casa, quibus in fluviis aquagia instruuntur &
distribuantur, vulgo **Wehrbäume.** vid. **Churfi. Sächs.
Mühlen-Ordn.**

§. II.

Interdum flumina vel imbribus vel alio flumine ad-
mixto, aut ex pluribus causis tanta incrementa recipiunt,
ut non solum ripam aggeremve lacerare, sed & Urbes ac
villas obruere possunt, attestante id notorietate. Sic è
contrario flumina tempore quodam valde exarescunt &
diminuuntur, ut limi dividantur, & terra piscesque sitiant.
Ideo in ripa sive margine plantari solent arbores, quibus
ista continentur, & aggeres colligantur, piscesque obum-
brantur. Has ergo arbores ob peculiarem hujusmodi
qualitatem & favorem, sub pœna arbitraria, pro modo
magnitudinis fluminis & inde metuendi periculi æstimanda,
excidere non licet. *l. 10. ff. de extr. crim. add. Dn. Struv.
Syni. Jur. civ. Exerc. 48. tb. 85.*

§. III.

Solent quoque virentes arbores fructum alias non
ferentes, recreationi & voluptati sive amœnitati, nec non
gestationi destinari. *l. 16. §. 1. ff. quod vi aut clam.* Ita vide-
mus saepe locos amœnissimis arboribus excultos, veluti
**Das Jehnische Paradies / den schönen Spaziergang
zu Bergen in Hennegau.** *Saur. Theat. urb. Die sehr
groß*

groß ausgebreitete schöne Linde beyhm Thur: Fürstl. Sächs. Schloß Augustsburg, sub cujus umbraculo per-multas & ultra ducentas Mensas poni atque disponi posse, Serenissimosque Electores Saxoniz sub ea prandisse pluries, notum est. Ulysses etiam lectum viventis arboris truncis inædificatum habuisse, constat ex *l. 9. §. 1. ff. de supellect. leg. ac ibidem allegat. Homer.* Quarum arborum fructum quendam capere, licet in amœnitate saltem consistentem, jurisprudentia judicat, propterea non tantum domino, verum etiam usufructuario, si quidem ab alio quid vi aut clam in illis fiat, conceditur interdictum quod vi aut clam. *d. l. 16. §. 1. ff. quod vi aut cl.* cum tamen illud alias ratione arborum non frugiferarum saltem Domino detur, *dict. l.* Quadrat huc, quod de Luco Daphnensi, cupressis consito, de quo in descriptione Antiochiæ, urbis Syriæ, quæ Daphne vocatur, meminit *alleg. Saur. Theatr. urb. & arbore Persea in Ægypto sancitum est. Tit. C. de Cupress. ex Luc. Dapbnens. & Magn. Du. D. Brunemann. in eum.*

§. IV.

Sicut & tandem Sacra Biblia testantur, jam olim vivos homines ex arborum amœnitate, sub illis quiescentes, prandentes &c. voluptatem cepisse, *1. Reg. c. XIII. 14. Jud. c. VI. 11. 1. Sam. c. XXII. 6.* nec non in voluptatem sui viridaria sevisse vel instituisse, *l. 17. §. 1. ff. si servit. vind.* ibique *Gotbofr. lit. 9.* Ita è contrario mortuos quoque sub arboribus voluptuosius quodammodo quiescere putaverunt, indeque sub quercubus sepelierunt, *Genes. cap.*

B 2

XXXV.

XXXV. vers. 8. 1. Samuel. c. XXXI. vers. ult. qui mos postmodum eo pervenit, ut in locis ad sepeliendum electis, vel cœmeteriis, cupressos, alias cypressos (quæ arbores imprimis funestæ habeantur, fortassis quod summus sacerdos Onias in dicto Daphnensi luco, sylva alias amœnissima, proditus & enecatus fuerit) serere inciperent, *Id. Gothofr. ad L. 16. §. 1. ff. quod vi aut cl.* quasi qui vivus ex arborum amœnitate mundanum, ex eadem nunc cœleste gaudium perciperet, & ex viridario mundi in cœleste, quod respectu ad mundanum funestum dicitur, sic translatus. Tales arbores, tanquam cœmeterii ornamentum & accessorium, *v. L. 43. ff. de R. V. sine dubio rebus religiosis*, ut ipsum cœmeterium, ab illis gentibus annumeratæ & commercio hominum exemptæ fuere. *arg. §. 7. Inst. de R. I. L. 83. §. 5. ff. de Verb. Obl.*

CAPVT III.

De jure ex Facto circa Arbores licito proficiscente.

Factum Civile vel pactum est, vel contractus, quibus potissimum mediantibus & accedente plerumque traditione, jus in re nobis adquiritur. Omissis pactis contractus modo circa arbores, atque ex his priores duos consensuales, tanquam & frequentiores & nobiliores, quatenus maxime in his speciale quid circa easdem occurrit, attingam.

§. II.

Emi vendi potest arbor qualibet, modo in commercio existat. *l. 83. §. 5. ff. de V. O. §. 2. Instit. de Inut. Stip. l. 1. §. 9. ff. de O. & A.* Hinc cupressum ex luco Daphnensi vel Perseis per Ægyptum sub pœna 5. librarum Auri excidere vel vendere prohibitum est. *l. 1. & 2. Cod. de Cupressis exclus. Dapbn. Mozz. de Contract. Tit. de Reb. qua emi vendi possunt. num. 49.*

§. III.

An autem is, qui vendidit fundum deductis arboribus, hujusmodi exceptione juvetur? quari potest: & negativa placet, ob eam rationem, quod si quis vendiderit domum excepta superficie, contractus vitietur in totum, *Gloss. in leg. Si Paterf. 15. in verb. Omnia. ff. de Adopt. Mantie. de Tacit. & Ambig. convent. lib. 4. tit. 15. n. 38.* Sed qui emit arborem, non intelligitur emere solum, & quamvis arbor non possit tradi, nec dominium transferri absque solo, tamen venditio valet & potest agi ad patientiam, quæ habetur loco traditionis. *l. Quintus 40. & ibi Baldus D. de Act. Empt. idemque Baldus in Rubr. Cod. de Contrahend. Empt. in fine.* Nec venditis cum fundo Arboribus, intelliguntur vendita ibi ligna incisa, quia in venditio simpliciter facta, ex natura venditionis non veniunt separata à solo tempore venditionis, ut infra pluribus dicitur, nec vendita sylva cædua glans, quæ ante incisionem sylvæ ceciderat, sed tantum illa, quæ in Arboribus erat tempore incisionis. *l. 80. §. 2. ff. de Contrah. Empt. Vend. Mozz. de Contrahibus. Tit. de Naturalibus Emptionis & venditionis nom. 45. & 47.*

Quid autem, si venditor excipit arborem in fundo, arbor vero exaruit & fuit incisa, deinde repullulavit, num ad emptorem, an vero an venditorem illa pertinet? Resp. dist. Si enim arbor ratione fructuum fuit excepta, tunc etiam solum intelligitur exceptum, & consequenter pullulationis & pedamenta, quæ sunt apta ad producidos fructus, sunt venditoris; Sed si arbor habendorum lignorum causa fuit excepta, ad emptorem pertinet. *Jas. in l. si fundum. num. 17. de Legat. I. Mantica dict. loc. 14. tit. 15. num. 49.*

§. V.

Locantur & conducuntur arbores sive singulæ, sive universæ, puta totius alicujus fundi, etiam alienæ, l. 7. §. 9. *fin. ff. Locati Cond.* ab altero jam conductæ, alteri æque idoneo ad eundem usum l. 6. C. §. 7. *ff. eod.* & usufructuariæ ab usufructuario v. d. l. 9. §. 1. quia usufructuarius exercitium ususfructus in alterum transferre potest; non autem servitus usus, quam quis habet in arbore, hæc enim est personalissima. §. 1. *Inst. de usu & habit. Carpov. Part. I. Dec. 69.*

§. VI.

Hic notandum, quod si circa fructus arboris casus fortuitus contingat, locator pro rata temporis, quo conductor uti non potuit, ipsi remissionem facere debeat. c. 3. X. *de Locato. Gail. lib. 2. Observ. 23.* Scilicet si (1.) sterilitas arboris inconsueta sit illius loci vel temporis l. 15. §. 2.

Secus, si ea consveta sit, aut præciri facile potuisset, arg. l. 9. §. 1. eod. l. 13. §. 6. de Damno inf. Boss. Prax. Crim. tit. de mercedis Remiss. num. 89. (2.) contingat forinsecus e. g. aëris intemperie, vid. d. l. 15. §. 2. Franz. ad tit. Locati. n. 96. & 98. non etiam, si eveniat vitio ipsius rei, ejusque intrinsicæ qualitate, veluti si hortus, in quo arbores conductæ positæ sunt, per se fit sterilis, frigidus &c. vid. l. 13. ff. de Rebus eorum, qui sub Tut. & fructus accerbos ferat, d. l. 15. §. 2. aut arbor ob vetustatem minus fructuosa fit d. l. 15. §. 5. (3.) si casus ille accidat circa fructus nondum perceptos, Gail. 2. Obs. 13. num. 12. &c. percepti enim etiam mercede nondum soluta conductoris sunt. arg. l. 7. pr. in quib. causis pignus tacite l. 26. §. 1. ff. de Furt. Hinc ob pomorum, uvarum, &c. valorem ita minutum, ut nec dimidium pensionis valeat, ulla mercedis remissio non debetur. Franz. d. l. num. 104. (4.) Si contingat sterilitas sine conductoris culpa ad casum ordinata, & quidem ita, ut ipse nullo modo eidem occurrere potuerit. c. 3. X. de Locato. Barbosa ad l. 8. Cod. eod. Hinc ille, qui vites non debito modo aut tempore intorto stramine vestivit, remissionem petere non potest, licet illo anno sterilitas, vel similes calamitas secuta sit. d. l. 15. §. 3. arg. l. 25. §. 3. ff. Locati. Cæterum culpæ conductoris & illud annumeratur, si propter inimicitias ejus vicinus arbores exciderit, d. l. 25. §. 3. (5.) denique requiritur, ut conductor damnum in fructibus arboris intolerabile acceperit d. l. 25. §. 6. quod à judice æstimatur, arg. d. §. 6. junct. l. 1. §. 2. ff. de Jure Delib. qui tamen ad quantitatem Legis 2. Cod. de Rescind. Vendit. non præcise obligatur arg. l. 25. §. 6. ff. Locati quia modicum tantum dam-

damnum, non vero immodicum, quod ab enormi laesio-
ne diversum est, conductor tolerare tenetur, *ibid.* Nec
etiam ob contingentem majorem ubertatem pensio ab
initio conventa augetur. *d. l. 25. §. 6. Zoes. ad tit. ff. Locati.
num. 22. Franz. ibid. num. 15.*

§. VII.

Jus in Arboribus quod attinet, Dominium earum,
præter modos acquirendi communiore, acquiritur acces-
sione, & quidem vel naturali, si scilicet Arbor vi fluminis
in agrum meum translata ibi coaluerit, §. 21. *Inst. de Rer.
Div. l. 7. §. 2. ff. de Acquirendo Rer. Dom.* vel artificiali, si
implantatione; Arbor enim, quæ radices egerit, semper
solo cedit, siue solum alienum sit & planta propria, siue
solum proprium, & planta aliena. §. 31. *Instit. de Rer. Div.
d. l. 7. §. 13. ff. de Acquirendo Rer. Dom.* Quod adeo verum
est, ut si vicini arbor ita terram Titii presserit, ut in ejus
fundum radices egerit, Titii arborem dicamus: ratio e-
nim non permittit, ut alterius arbor esse intelligatur,
quam cujus in fundum radices egerit, inquit Imperator
d. §. 31. Quinimo si arbor in alio posita coaluerit, postea
autem rursus eruta sit, non ad priorem dominum rever-
titur, nam credibile est, alio terræ alimento aliam factam.
l. 26. §. 2. ff. de Acquir. Rer. Dom. Unde minus dubitan-
dum est, cum surculus sæcundæ arboris in Sylvestrem in-
seritur, eam arboris domino cedere; Arbores enim
pars soli sunt. *Carpzov. p. I. Constit. 38. def. 24. num. 34. &
lib. 2. Resp. 53. num. 30.*

§. VIII.

Arbor autem prope confinium posita, si etiam in vi-
cini;

cini fundum radices egerit, communis fit, d. §. 31. *Inst. de Rer. Div. & l. 7. §. 13. in fin. ff. de acquir. rer. dom.* non quidem pro indiviso, sed pro regione cujusque prædii, l. 8. *in pr. ff. eod.* adeo, ut cum succisa sit, ea quoque parte singulorum esse debeat, pro qua parte in fundo fuerat, ut postea tantam partem uterque in arbore habeat, quantum & in terra habebat. l. 83. *ff. Pro Socio.* Licet enim in l. 6. §. 2. *in fin. ff. Arbor. furt. cas.* dicatur, quod si vicini radicibus arbor alatur, tamen ejus sit, in cujus fundo origo ejus fuerit: Hoc tamen locum tantum habet, vel (1) in arbore recenti, non in ea, quæ est justæ magnitudinis, cum enim hæc pascat radices ampliores in alieno fundo, plus habebit ille, in cujus prædio extendit majorem partem radicum, pro arbitrio judicis, qui propterea debet accedere in rem præsentem, & visitare arborem cum scrutatione loci radicum, quam is, in cujus fundo planta erat enata, d. l. 83. *ibique Gothofred.* vel (2) procedit in dubio, quia arbor præsumitur illius, in cujus fundo habet stipitem *Ferrant. Gargia Patrocin. 95. & Hieron. de Monte Tr. de Finib. c. 3. & 5.* vel (3) obtinet in Arbore, quæ potest vivere ex solis radicibus, quæ sunt in solo, unde ducit originem *Cepoll. tract. de Serv. Urban. Præd. c. 85. num. 10. vid. Gloss. ad d. l. 6. ff. Arbor. furt. cas.*

§. IX.

Unus ex dominis prædiorum convicinatorum non potest invito altero succidere aut eradicare arborem, etiam pro sua rata, *arg. l. 45. ff. de Furtis. Costa de Quot. & Ratio. Quæst. 46. n. 12.* nisi ageretur de sylva communi *ca dua Plot. ad l. 9. Cod. Unde Vi.* Nec licet vicino incidere radices, quibus sublatis interitus arboris contrahatur. *Cepoll. dicto*

C

dicto loco num. 9. vid. Vin. d. §. 31. & Schultz. ibid. Nisi radices damnum vicino, forte fundamento ædium inferant, tunc enim vel ipsam arborem vel ejus radices, autoritate saltem judicis, licebit incidere l. 6. §. fin. Arb. furt. cas. Philip. Usu Pract. Instit. lib. 2. Eclog. 13. num. 7. Si vero vicino quis denunciaverit, ut tollat, & ipse renuat, permittitur mihi Edicto Pratoris de Arboribus cadendis, etiam propria autoritate, non solum ramos & radices, sed totam quoque arborem succidere, & ligna succisa tollere l. 1. §. 2. junct. §. 8. ff. de Arboribus Cadend. ibique Wesenbec. vid. Berlich. p. 5. Concl. 52. n. 22. & seqq.

§. X.

Cæterum arbor in Ripa fossatorum alicujus Civitatis existens, ad eam pertinet, Alb. Conf. 16. vol. 1. in fine in ripa vero fluminis existens illorum est, quorum prædiis adhæret. §. 4. Instit. de Rerum Divis. Surdus Conf. 376. n. 5. vol. 3.

§. XI.

Quoad fructus arboris vicini advertendum, jure civili Prætorum prohibere, ne domino Fructus, qui in vicini fundum ceciderunt, legenti, etiam tertia die vis fiat, l. un. ff. de glande legenda: Id autem hodie vix observari, dicit Coler. p. 1. Decis. 25. Habn. & Zes. ad tit. ff. de Glande legenda. Sane de Jure Saxonico fructus ex ramis meorum arborem decedentes in fundum vicini ad illum pertinent Land-Recht l. 2. art. 52. Weichb. art. 126. Carpz. p. 3. const. 33. d. 25. n. 4. Mechliniæ & Antwerpæ propendentium fructuum semissem tantum vicino cedere, testis est

est *Groenew. ad l. 1. ff. de Arb. cad. & l. 1. ff. de Glan. Le-
genda.*

§. XII.

Et si autem quilibet rei suæ moderator & arbiter sit,
l. in re mandata. 21. Cod. mandati. Non tamen ita arbo-
rem habere licet domino, ut alteri iniqua inde conditio
inferatur. Si enim arbores in prædium urbanum impen-
dentes vicinus tollere noluit, dominus Urbani prædii eas
potest incidere *l. 1. pr. & §. 3. & 6. ff. de Arbor. Cad. Carpz.
cit. loc. num. 5.* Si vero in prædium rusticum impende-
ant, licet ramos ad quindecim pedes usque à terra coer-
cere, ne umbra arboris noceat prædio, *d. l. 1. §. 7.* Quin-
imo nec possessor vel dominus sylvæ venatoriz, qui alteri
servitute venandi debet, grandes & annosas arbores
cumulatim & magno numero una vice excidere & ad
quæstum suum transferre potest. *Gail. l. 2. Obs. 67.*

§. XIII.

Circa jus illud, quod Vasallo, Emphyteutæ, Usu-
fructuario & Usuuario in Arboribus competit, notari pot-
est, favorem fructiferarum arborum tantum esse, ut Va-
sallus Feudo privetur, si eas incidat. *Bart. in l. Fructus. 7.
§. si fundum 12. ff. soluto matr. Bald. in l. 1. num. 11. C. de Jure
Emph. n. 99. Zas. Epitome Feud. p. 10. concl. 8.* Multo ma-
gis hanc ob causâ Emphyteuta & usufructuarius expelli
poterunt, vid. *Mantica de Tacit. & Ambig. Convent. lib. 22.
tit. 29. num. 2. vid. Tabor. Racemat. ad tit. ff. Arbor. furtim
cas. n. 38. Vall. Consl. 18. n. 12.* ubi plurimis autoritatibus
probat, quod usufructuarius, emphyteuta, conductor,

C 2

maricus

maritus & pater in bonis uxoris & filii arbores fructiferas, sub pœna amissionis juris sui, succidere nequeant. Quo tamen casu tunc demum ad privationem Feudi, usus, vel ususfructus dominum vel proprietarium procedere posse dicunt, si Vasallum vel fructuarium serio præmonuerint, ut abusu abstineret, ille tamen nihilominus abusum continuaverit. *Hart. Hartm. Pract. Obs. Tit. de Feudis Obs. 37.* Restringeri quoque hæc debent, ut habeant locum, nisi arbores vetustæ sint, adeo, ut utilius sit in earum locum alias substituere, tunc enim, si Emphyteuta eas inciderit, & alias substituerit, non potest expelli, quia hoc industriæ magis quam culpæ adscribi debet. *Rob. Conf. 49. n. 20. l. 2.*

§. XIV.

Quia autem Vasallus & Emphyteuta non usumfructum solum, sed amplius quoque utile dominium habent, *Dn. Struv. Synt. Jur. Civ. Exerc. 11. th. 55.* ideo facilius his conceditur, arbores interdum quoque non cæduas pro ædificatione domus in ipso fundo incidere, *vid. l. 10. §. 12. ff. de Usufr. Mantica cit. loco num. 33. & 36.* quam usufructuario, cui quidem ex arboribus fructiferis quoque domum reficere permissum est, non autem ædificare. *l. 13. §. 5. arg. l. 44. ff. de usufructu.* Quinimo etiam si vi ventorum aut tempestatibus arbores evulsæ & dejectæ sint, fructuarium tamen ligna, nisi forte ad villæ refectionem vel ad usum plane necessarium, cædere vel auferre non potest. *l. 12. ff. de Usufr.* Unde & maritus, arboribus in fundo dotali vi tempestatibus dejectis, si inciduæ illæ sint, soluto matrimonio pretium earum ipsi mulieri restituere debet. *l. 1. fructus. 7. §. si fundum 12. ff. soluto matr. Mantica Tom. 1. l. 12.*

l. 12. Tit. 32. n. 33. Quamvis usufructuarius ex Sylva cædua pedamenta & ramos, ex arbore & non cædua in vineam sumere possit, dum ne fundum deteriorem faciat, *d. l. 10. ff. de usufr.* vel quæ alia ad usum necessaria. *l. ligni. 55. §. 3. de Legat. 3.* Neque interest, si paulo intempestivius arbores cæduas cadat, modo hoc fiat ad modum vel quantitatem, quam paterfamilias non egrederetur: quin & vendere ex Sylva cædua fructuarius potest, etiam si dominus vel paterfamilias ipse non soleat vendere. *l. 9. in fin. ff. de usufructu.* Itemque in usuario procedit, ea tamen observata differentia, quod fructuarius non modo ad usum, sed etiam ad compendium, usuarius vero ea saltim cædere & vendere possit, quæ ad usum quotidianum sufficiunt, non usque ad compendium. *l. 12. ff. eod. §. 1. Instit. de usu & habit.*

§. XV.

Notari quoque hic potest, per arboris plantationem libertatem à servitute Urbana non usucapi, quia propter motum suum naturalem in suo statu non manet. *l. 7. ff. de servit. Urban. Præd. vid. Brunnemann. ibid.* Caterum qui arborem ponit, agit contra Servitutem, si debeat servitutem vicino, ne luminibus officiat, quia arbor impedire potest lumen cæli; Sed si plantatione arboris solem vicino quis adimat, idque vicino commodum sit, non potest conveniri, quasi contra servitutem egerit, quia vicini nihil interest. *Brunnemann. in l. 17. ff. eod.*

CAPVT IV.

De actionibus ex facto circa arbores licito descendentes.

§. I.

EX quo vel contra eum agimus, quia ex conventionem aut contractu nobis obligatus est, vel contra eum, qui rem in qua jus aliquod reale pretendimus, possidet, omnis actio vel realis est vel personalis. Quemadmodum autem, uti supra fuit monitum, Emptionis & Locationis contractus circa arbores potissimum celebrari queunt: Ita quatenus inter emptorem & venditorem arboris emti & venditi actio detur, palam est; an autem vendita arbore emptor ad præstandum solum illud in quo arbor est posita, & an ad traditionem ejus, quæ incisa iterum pullulavit, contra venditorem agere possit? quidve circa ligna arborum juris sit? de his præcedente capite diximus.

§. II.

Quoad fructus autem arborum distinguitur, an pendentes sint, an vero separati à solo. Separati procul dubio venditoris manent; *l. 2. in fin. Cod. de Act. Empt. Vendit.* Illos actione emti consequitur emptor, quia pars rei sunt. *l. 13. §. 10. ff. eod. l. 44. ff. de Rei Vind. l. 13. l. 16. Cod. de Act. Empt. Vend.* Idque procedit (1) etiam si fructus maturi sint & mox percipiendi, *d. l. 13. §. 10. nisi venditor tem-*

poris

pore contractus sese parasset ad collectionem & perceptionem, manumque emtore sciente adhibuisset, nec ex pretii quantitate vel aliunde de contraria contrahentium mente constaret. *Trentac. l. 3. Tit. de Emt. & vendit. res. 6. n. 13.* (2) Licet fructuum portio ad Colonum partiarium pertineret, qui quidem personalem habet actionem adversus venditorem. *Jason in l. Cum Filiofam. n. 180. de Legat. 1.* Quamvis (3) ab emtore pretium nondum solutum fuerit. *arg. §. 1. Inst. de Emt. Vendit. Mantica d. tr. l. 4. tit. 25. n. 42.* (4) Etsi venditor ante rei traditionem fructus illos perceperit. *arg. l. 2. 13. & 16. Cod. de Act. Emt. Vend.* Post moram vero venditoris emtor etiam de fructibus percipiendis agit, *arg. l. 21. §. 3. ff. eod.* Quae tamen omnia ita sunt intelligenda, quando emtio arboris pura est, aliud enim dicendum, si sub conditione nondum purificata. *Mantica loc. cit.*

§. III.

Quoad actiones circa Arbores reales, generaliter pro Arborum possessoribus, talibus scil. in lata significatione, *l. fin. Cod. de Acquir. vel retin. possess.* datur Actio positum habendi confessoria, Actio ne prospectui officiat, ut & actio ne luminibus officiat, negatoria. *vide Dr. Schwendendorff. Cap. 2. Action. Forens. Membr. 2. Art. 45. 61. 70.* Dominus arboris contra transferentem in suum fundum, utilem rei vindicationem habet, si ea coaluerit & radices immiserit: directam autem, si nondum coaluerit; hoc enim casu domini esse arbor non desinit. *l. 5. §. 3. ff. de rei vind.* Qui autem ipsimet Plantam suam in alienum fundum sive bona sive mala fide posuit, non habet
rei

rei vindicationem l. 26. §. 2. ff. de Acquirendo Rer. Dom. vid.
 Du. Struv. Synt. Juris Civilis Exerc. 41. tb. 49.

§. IV.

Quatenus dominus Feudi propter excisionem arborum fructiferarum contra Vasallum Actione Feudali & Dominus Rei Emphyteuticariae contra Emphyteutam actione Emphyteuticaria Bachov. Vol. 1. D. 29. Thesi 13. lit. G. agere possit, ex superiori capite patet. Si pendentibus adhuc arboris fructibus, nec dum perceptis finitus sit ususfructus, quamvis maxima parte ejus anni is ususfructus steterit, & fructus maturi sint, tamen pro eis non habet actionem usufructuarius, nec eandem ad haeredes suos transmittit, sed adquiruntur fructus proprietatis domino l. 13. ff. quibus modis ususfr. amitt. §. 37. Inst. de Rer. Divis.

§. V.

Contra Arborum possessores datur & directa & utilis Rei vindicatio. l. 5. §. 3. ff. de Rei vindic. Actio positum non habendi confessoria, ne prospectui officiat confess. Ne luminibus officiat confess. Du. Schwendendorff. de Action. Cap. 2. Membr. 2. Interdictum de Arboribus caedendis, de Glande Legenda, & si quae sunt alia.

CAPVT V.

De jure ex Facto circa Arbores illicito oriundo, de
 que Actionibus hinc descendentes.

§. I.

§. I.

Respiciendum hic est, tum ad ipsum factum illicitum circa arbores, tum ad modum istius facti. Factum ipsum quatuor potissimum in jure verbis notatur; Arbor enim aut radicitus evellitur, sive extirpatur. *l. 7. ff. Arborum furtim casarum*, aut caditur, aut cingitur, aut subsecatur. *l. 5. ff. eod.* Cadere latius patet, quam succidere, *arg. Rubrica dicti tit. & l. 8. §. 2. & 3. eod.* est enim non solum succidere, quod sit ita, ut cadat arbor, & caput à pede separatur, ut loquitur Glossa *ad d. l. 5.* sed mitius quoque accipitur in stricto significato: est enim idem quoque, ac ferire cadendi causa. *vid. l. 7. §. 3. eod.* Cingere idem est, ac deglabrare; Scilicet, ut stringere pro distringere usurpamus, ita cingere pro discingere, i. e. in orbem decorticare. *Cujac. lib. 9. Obs. 12.* quo ipso mors & exitium arboribus conciliatur. *Plin. l. 17. c. 14.* Est enim in cortice velut spiritus animalis arboris, siquidem sublato eo pleræque arbores exarescunt. *Cuj. l. 4. Quæst. Papin. ad l. 39. in fine ff. de Pactis.* Subsecare est ferra secuisse *d. l. 5. Arbor. furt. cas.*

§. II.

Quoad modum facti circa arborem illiciti, casio ipsarum aut evulsio vel dolo vel culpa, vel clam & occulte, vel domino sciente, per vim & per impetum, vel contractandi sive auferendi, vel nocendi tantum proposito contingit. Semper autem in eum effectum, ut factum circa arborem illicitum dicatur, requiritur (i.) ut casio sive evulsio arboris jure prohibita, non permessa sit, licet enim quandoque, vicina arboris ramos vel radices succidere,

D

dere,

dere. l. i. §. si Arbor. adibus. junct. §. ait. Prator. vers. prius
 itaque ff. de Arboribus cadend. ibique Wefenb. in Parat. Capoll.
 de servitut. Urban. Prad. c. 81. Carpzov. p. 3. Const. 32. Def.
 25. num. 5. (2.) ut casio vel evulsio injuriosa sit, i. e. cum
 damno & dispendio conjuncta. ex Plin. l. 17. c. 1. Colleg.
 Jur. Arg. Thes. 4. ad Tit. Arb. furt. cas. (3.) Urea vel do-
 lo vel culpa accidat, per vulgata.

§. III.

Pro ratione præmissarum circumstantiarum contra
 delinquentes in Arbores variaz actiones dantur, & quidem
 1. atque potissimum ACTIO ARBORVM FVRTIM
 CAESARVM, quæ est legitima, mixta, in eum, qui arbo-
 res alienas clam & invito domino cædit, eum in finem
 prodita, ut damnum duplo sarciat. l. 1. §. 3. ff. Ar-
 borum furtim cesarum Tabor. Racemat. ad hunc Tit. num. 33.
 Quæ datur domino sive directo, sive utili, l. 5. §. ult. eod.
 quia hæc actio non ratione rei competit, sed ex delicto,
 quo cædens obligatur personæ ei, cui damnum intulit. d.
 l. fin. l. 56. de Obl. & Action. usufructuario utilis tantum
 competit d. l. 5. §. 2. arg. l. 22. de Aqua & Aqua plu. junct. l.
 5. §. 3. ff. Arbor. furt. cas. Molina tr. 2. de Delicti Disp. 699. n.
 12. contra cædentem, l. 7. §. 4. Arb. furt. cas. etiam colo-
 num; l. 9. eod. Tabor. cit. l. num. 37. Non autem (1) ad-
 versus hæredes, l. 7. §. 6. ff. eod. nec (2) adversus servum,
 qui sua voluntate à domino neutiquam jussus arbores fur-
 tim ceciderit. l. 7. §. 5. ff. eod. neque (3) adversus domi-
 num, qui non jussit. d. l. 7. §. 5. nec (4) adversus eum, qui
 radicibus evulsit, vel extirpavit. d. l. 7. §. 2. eod. Duplum
 autem,

antem, ad quod competit hac actio, non est mera poena.
arg. l. 9. l. 6. §. fin. eod. Taber. cis. l. num. 43.

§. IV.

Datur & concurrat cum precedenti contra eadentem ACTIO LEGIS AQUILIAE, l. 11. ff. Arbor. furt. cas. quando scil. arbores casae sunt; Non autem concurrat, sed sola competit, quando arbores radicitus evulsae sunt: Evellens enim nec cecidisse, nec succidisse, nec subsecuisse proprie dici potest. l. 7. §. 2. eod. Vocabulum autem Ruperit, quod in l. 27. §. 5. ad Legem Aquil. reperitur, tam late patet, ut quaecumque corruptionem notet, Taber. vit. l. n. 21.

§. V.

Ubi autem quis non solum evulserit, vel ceciderit arborem, damni inferendi causa, sed lucri quoque faciendi proposito eam contrectaverit, furti actio contra delinquentem competit, l. 8. §. 2. ff. arborum furtim casarum, ut & Furtiva condictio. arg. l. 5. §. 7. pr. & §. 1. ff. de Condict. furt. Quae sane differunt ab Actione arborum furtim casarum: Furtim namque casae arbores videntur, quae ignorante domino, calandique ejus causa caduntur; Nec esse hanc furti actionem scribit Pedius, cum & sine furto fieri possit, ut quis arbores furtim cadat, prout dicitur in l. 7. ff. eod. Notandum tamen hic est, quod, si fur decerpserit vel defecerit fructus arborum maturos pendentes, condictio furtiva, quae soli domino competit, l. 1. ff. de condict. furt. proprietario; furti vero actio

fructuario detur, cujus inter fuit fructus non fuisse ablatos. *l. arboribus. 12. §. 5. ff. de usufructu.*

§. VI.

Datur quoque ACTIO VI BONORVM RAPTORVM, cum Arbores per vim sciente domino cæsa fuerint, *d. l. 8. §. ult. Arb. furt. cas.*

§. VII.

Præterea Actio ex LL. XII. Tab. in delinquentes in Arbores prodita fuit, ut quis in singulas arbores cæsas, æris 25. asses luat. *Jacob. Menoch. de Arbitrar. jud. Quest. l. 2. c. 6. c. 579. n. 2. Berl. p. 5. Concl. 52. n. 2.* Quarum actionum memoratarum una absument alteram, ita tamen, ut una finita, ad residuum, quod in priore non continebatur, consequendum, reliquis pingvioribus experiri liceat. *l. 1. l. 11. ff. Arbor. Furt. cas. Cujac. l. 8. Obs. 24.*

§. VIII.

Cæterum illi, qui arbores & maxime vites ceciderunt, etiam tanquam latrones puniuntur, *l. 2. ff. Arb. furt. cas.* adeoque & Inquisitio & Accusatio Criminalis contra eos, qui hac ratione delinquent, locum habet. Neque id nimis durum puto, (1.) enim particula: *tanquam*; hoc loco improprietatem sive similitudinem notat, non exæquationem, severius enim omnino puniuntur latrones proprie sic dicti, qui viarum obsessores sunt. *l. 118. de V. S. l. 9. ex quib. caus. Maj. l. 28. §. 25. ff. de pœnis.* (2.) notandum, Latrones quandoque laxius vocari eos, qui prædas undequaque aucupantur, *ut in l. 3. §. 7. ff. de sepulch. viol.*

viol. l. 21. ff. soluto matrim. l. 9. §. 4. Locati. (3.) advertendum, quod poena capitis hic non exprimat, sed arbitrio iudicis relicta videatur *arg. l. 1. de Jure Delib. Tabor. Racem. ad Tit. Arb. Furt. cas. num. 49.* qui fustigationis poenam plerumque hic locum habere ex Carpz. & Argentæo asserit. Quamvis me non fugiat, nocturnos agrorum populatores latronum jure censer, & ubi apprehensi fuerint, digno illico supplicio à privato quoque subjugari posse. *in l. 1. Cod. Quando liceat unicuique sine iudice se vindicare.*

§. IX.

Denique notandum, circa delictum Arborum furtim casarum, Carolina Constitutione *art. 168.* hic novi nihil constitutum esse: *Lauterb. Comp. Jur. ad tit. ff. Arb. furt. cas. in fine.* Jure Saxonico, Electorali præmissis, quicumque nocendi, non lucrandi animo ac petulanter arbores cadunt, aliove modo inutiles reddunt, præter æstimationem Arborum, multam 30. solidorum i. e. 40. grossos Misnenses solvere, vel pro ratione circumstantiarum, severiorem poenam arbitrariam, puta carcerem, relegationem, imo, pro modo delicti fustigationem sustinere debent. *part. 4. Constit. Elect. 36. Moller. ibid. Carpz. Part. 2. Crim. Quæst. 83. n. 7. seqq.* Qui vero lucri faciendi causa arbores in scio fundi domino casas furantur, poenæ furti subjacent. Quamvis haud facile accidat, ut ob arbores casas & ablatas suspendii poena irrogetur, forte ideo, quia in sylvis, ubi communiter lucri & furti causa arbores inciduntur, de corpore delicti, & quantitate ramorum & arborum ablatarum satis ac certo constare nequit, quo casu poena mortis infligenda non est. *Constit. Elect. 13. p. 4. vid.*

D 3

Carpz.

Carpe. e. l. n. 20. sqq. Atque hæc sunt, quæ mihi tot, negotiis distracto, in tanta temporis penuria properante cogitatione & calamo, de hoc Themate colligere licuit.

Divino Numini, quod & animi & corporis vires benignissime concessit, sit æterna

GLORIA !

Viget Coloni spes, rus offert optimas
 Fruges, & illas refecat falx ferrea,
 Quas arbores vidit prius florentibus
 Ramusculis, læta hic manu dulcissimos,
 Fructus rapit. Probat Tua arbor, *Optime*
Vir, antea gemmas fuisse gravidas,
 Cum suppetant fructus Tibi svavissimi!
 Hos gratulor, profint Reique Publicæ
 Tuisque maximum ferant hinc commodum !

Ita

*Consultissimo Dn. Doctorando STOCKIO,
 Advocato veterano, honores in jure supremos
 serius quidem ast maturius petitos ex
 animo gratulor atque ut Dignitati commo-
 doque ipsi sint vobis precorque*

PETRVS MÜLLER, D.

Cod. ac Jur. Publ. Professor
 Ordinar.

Crevisti

48) 11 (48
G Revisti tarde, longavi roboris instar :
Par decus & robur, vita fit aqua Tibi.

Gratulabundus
scr.

JO. PHILIPPVS SLEVOGTIVS, D.

S Er seinen müden Geist im Garten will erquicken
Wo die beglückte Frucht der edlen Bäume
lacht,

Der lasse nur sein Aug auf diese Bogen blicken,
Da wird ihm vorgestellt der Bäume schönste
Pracht.

Wer so das ganze Feld im Rechten will betrachten /
Der muß das Paradies in Jena nicht viel achten:
Dieses wenige setzte dem Herrn Docto-
randen seinen hohen und werthesten
Gönner glückwünschend hinzu

TOB. SVTORIVS, J. U. D.

A Strax hat der Ehren höchste Crone /
Wohl-Edler / Ihm vorlängsten zgedacht :
Die giebt sie nun mit doppeln Ruhm zu Lohne,
Nachdem Ihm schon die That berühmt gemacht.

Mit diesem wenigen wolte dem Herren Docto-
randen, seinem Hochgehetesten Gönner
und Freund, in höchster Eyl glückwün-
schend beehren


Joh. Jacob Müller, J. U. D.


Ge...

Jo. Pat...

Jo. Pat...

Jo. Pat...





the scale towards document

IVRE DETRECANDI PRO REIS. 15
naec a comperendinatione manauit, in iis cauffis,
comperendinatio erat permiffa. Neque attin-
loco placet, qua ratione reum conuicerint, per
es, fiue testimonia feruorum vi tormentorum
neque de testibus et tabulis, quibus accusatores
ndam accusationem vtebantur. Sed videamus
uidnam absoluta accusatione reis pro defenden-
uperfuerit. Aggrediebantur eam PATRONI,
tore ex lege constituto, quos quidem ad bis se-
nunquam adhibere solebant. Negabant vero
n ipsum, aut nomen facti, aut iure factum pro-
Saepiffime causa non vno die peragi poterat,
ultos traducebatur, quare a Cicerone per tres
em accusatum, per quatrimum vero Cornelium
constat. Praeter hos adhibuerunt et LAUDA-
qui erant summa auctoritate viri, qui in peri-
is, vitam rei in iudicio laudabant. Per mores
oductum erat, vt horum laudatorum ad mini-
em pro reo intercederent, vnde CICERO ^h)
i: Quis est vestrum Iudices, qui non intelligat,
ciis, qui decem laudatores dare non potest, ho-
ei, nullum dare, quam illum quasi legitimum
consuetudinis non explere. Interea temporis,
ntiam iudices ferrent, (quod in rebus maioris
clam, per tabulas, aut littera A. absoluo, aut
mmo, aut NL. non liquet, inscriptas, fieri sole-
cum caeteris rei amicis et cognatis, et VIRGI-
NES
rr. V. 23.